

derunt<sup>a</sup> quos Faventini persecuti sunt usque Granarolum<sup>[A]</sup>, ceteros<sup>a</sup> de Cunio ibi invenientes in insidiis positos; cum quibus maximum commiserunt prælium, magna virorum<sup>b</sup> atque equorum strage facta utrinque<sup>(50)</sup>.

*Quando Imolenses timore Ravennatum et Bononiensium,  
dedere se Faventinis.*

## CAP. XXVII.

Cum Ravennates, more praedecessorum<sup>a</sup> omnibus suis<sup>b</sup> vellent dominari vicinis, una cum Bononiensibus Imolam, quæ tunc dicebatur Cornelia a conditore Cornelio, tandem expugnaverunt, donec Imolensem civitatem igni combusserunt, foveas et muros civitatis penitus destruentes. At ubi populus Imolensis in veritate cognovit Ravennates et Bononienses velle inter se dividere civitatem, anno Domini MCXXXI<sup>[d]</sup> sese cum civitate et districtu Faventinis<sup>c</sup> proposuerunt<sup>[e]</sup>, promittentes atque iurantes, quod duo pallia<sup>f</sup> et soldos valentia, annis singulis in festo Sancti Petri, Faventino in perpetuum darent Ecclesie. Ab illo ergo die, Faventini foveas et muros civitatis Imolensis suis restaurare coperunt expensis<sup>(51)</sup>.

*Quando Bononienses et Ravennates obsederunt Imolam.<sup>a</sup>*

## CAP. XXVIII.

Videntes autem Ravennates et Bononienses se ab Imolensibus despici, eo quod Faventini terram deditissent<sup>[f]</sup>, anno a nativitate Domini MCXXXII, ducentes Feryanienses et alios multos eorum amicos, obsederunt Imolam et Faventinos multos, qui propriis civitatem defendebant sumptibus. Cum vero fere per duos menses dictam expugnassent civitatem, multa et maxima, ante portas civitatis, cum hostibus commiserunt proelia, in quibus utrinque facta est virorum strages non modica. Ex parte utique Ravennatum et Bononiensium fere omnes perierant equi. Post obsessionem vero, cives praedictarum civitatum, per multos annos Imolensibus et Faventinis guerram intulerunt maximam.

[a] magna virorum. Sic Codd. M. et V. In C. A., exigua virorum. — [b] more praedecessorum, omnibus suis, Codd. M. et V. In C. A., more praedecessorum suorum, omnibus suis. — [c] At ubi populus. Sie legit Cl. Mitt. In C. V., unde; in C. A., at cum. — [d] anno Domini MCXXXI. Codd. M. et V. In C. A., anno Domini MCXXI, fortasse amanuensis incuria. — [e] Faventinis proposuerunt. Sic cum Cl. Mitt. legendum duco. In C. M., Faventino proposuerunt. — [f] terram dedit. Sic Codd. Terram nota, pro urbem: quae loquendi formula usitata erat illo tempore.

[A] Granarolum. Castrum Faventinorum, sexto ab urbe lapide, juxta viam qua itur Balneocallum.